



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

VIII. Soluuntur aliqua argumenta contra præcedentem doctrinam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

animam, & ab ipsa procedere omnia accidentia. Postea verò in solutione ad primum, videtur concedere, etiam in illo instanti præcedere dispositiones ad formam. Sed nihil minus. Nam ibi non agit de prioritate reali, seu ex natura rei, sed prioritate logica, seu rationis. Distinguit enim in anima plures gradus, scilicet, ut actuatur in esse entis, & in esse corporis, & in esse viventis, & in esse animalis, & in esse hominis: quo supposito dicit, sicut prius ratione concipitur anima constituere ens & corpus, verbi gratia, quàm vivens; ita etiam prius ratione intelligi oriri accidentia propria corporis, quàm accidentia propria viventis; & rursus materiam prout affectam illis accidentibus propriis corporis, intelligi quasi dispositam ratione nostra ad formam substantialem, prout datur est effectum formalem viventis; & rursus prout affectam accidentibus viventis, intelligi dispositam ad formam animalis, &c. Hæc autem est sola prioritas rationis secundum nostrum imperfectum modum concipiendi, non autem ex natura rei; ut sic enim gradus corporis non præcedit ad gradum viventis. Imò stando adhuc in illa prioritate rationis noluit S. Thomas concedere prius, & posterius respectu eiusdem, quia sicut docet accidentia gradus corporei, verbi gratia præcedere ad formam viventis, ita etiam docet accidentia illa gradus corporei non procedere à forma vivente, sed à forma secundum gradum forme corporis, & ad formam secundum hunc gradum non præcedit etiam ratione nostra in sententia S. Thomæ accidentia gradus corporei, sed accidentia gradus entis creati: ut videas, quàm constanter negaverit ubique S. Thomas prius & posterius respectu eiusdem.

177. Quartò opponunt ex 3. part. quest. 89. art. 1. ad 1. ubi docet poenitentiam ut est Sacramentum esse causam gratiæ, esse verò effectum gratiæ prout est virtus, ergo sensit procedere à gratia. Respondeo, poenitentiam actualem esse causam gratiæ, quia est pars Sacramenti, quo causatur gratia; poenitentiam verò habitualem, seu habitum poenitentia esse effectum gratiæ, quia omnes habitus virtutum subsequuntur ex habitu gratiæ: & de hac poenitentia habituali dicit S. Thomas esse effectum gratiæ, ut ipse se explicat; nunquam ergo ponit idem esse causam, & effectum gratiæ. Mitto alia loca Sancti Thomæ, quæ multò minus habent difficultatis. Illud tamen observa ad maiorem abundantiam, licet aliqui Auctores antiqui videantur aliquando concedere mutuam prioritatem inter dispositionem, & formam: intelligi posse non de prioritate ex natura rei, sed de prioritate rationis secundum imperfectum modum concipiendi, quo aliquid quod reuera non est prius, concipitur aliquando ac si esset prius, quia cognoscitur imperfectè per species alienas: sicut in divinis dicunt aliqui, relationem intelligi prius quàm originem, & rursus posse originem intelligi, prius quàm relationem, non prioritate virtuali, sed rationis secundum imperfectum modum concipiendi.

178. Quàm longè verò distet illa mutua prioritas à mente S. Augustini, constat ex supradictis: cum semper apud Augustinum cuidens fuerit hæc consequentia, gratia datur, ut operemur; ergo non datur quia operamur: & ideo ut probaret, gratiam non esse ex operibus, solum id ostendit ex eo quod qualibet opera bona debebant esse ex gratia, quæ probatio inefficax esset, si posset gratia esse ex operibus, quæ orientur ab eadem gratia cum mutua illa prioritate, quam certe vel Augustinus ignoravit, vel malè omisit, dum absolutè negavit gratiam

posse esse ex operibus. Videatur August. lib. de correptione & gratia, cap. 9. lib. de predestin. Sanctior. cap. 18. in fin. & cap. 19. lib. de dono persever. cap. 13. & 14. epist. 107. ubi probat, primam gratiam non posse dari à Deo, secundum merita, quia datur, ut sint merita: & lib. 1. ad Simplicianum. q. 2. ubi sic ait: Percipientes gratiam consequenter sunt opera bonæ, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur: non enim ut ferueat calefacit ignis; sed quia bene feruet: neque ideo bene currit rota ut rotunda sit, sed quia rotunda est. Videatur etiam lib. 1. retract. cap. 23. & Hieronymus in illa verba Pauli ad Ephel. 1. Eligite nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Qui illam consequentiam ut necessariam, & evidenter supponunt.

SECTIO VIII.

Solvuntur aliqua argumenta contra præcedentem doctrinam.

PRO complemento huius puncti operæ præcedentis respondere ad aliqua argumenta, quæ Recentiores Philosophi afferunt pro mutua causalitate. Et quidem hoc magis ex Philosophia nobis supponendum esset quàm examinandum: quia tamen multi Recentiores dicunt, non posse in Philosophia negari mutuam causalitatem, imò eam, si Deo placeat, demonstrari, libet potissima coram argumeta ex Philosophia breviter referre, & dissolvere. Primum sit ex introductione forme novæ, & expulsiōe forme contrariæ: dicunt enim, in vno genere causa prius introduci formam genitā, si quidem ipsa expellit formam præcedentem, in alio tamen genere prius expelli formam præcedentem, non enim potest introduci forma subsequens, nisi recederet forma præcedens; ergo expulsio, & introductio habent mutuam prioritatem, & causalitatem ad invicem.

Hoc, & alia similia argumenta oriuntur ex principio falso, quod ab iis Philosophis supponitur: quod, scilicet, bona consequentia sit, hoc non esset, nisi esset aliud; ergo hoc pendet ab illo, tanquam à causa, vel certe à priori: quæ quidem consequentia non est bona: nam etiam materia non esset nisi esset quantitas; & tamen non dicunt, quod materia pendeat à priori, à quantitate, & ut alia omittam, in presenti materia eadem consequentia retineri non potest iuxta doctrinam Concilij Tridentini sess. 6. cap. 11. ubi dicitur, quod *Trid. Deus sua gratia semel iustificatus non deserit, nisi ab iis prius deseratur*. Ex quo exemplo retorquetur potest manifestè argumentum factum: quia quando per peccatum actuale expellitur gratia habitualis peccatum non posset introduci, nisi expelleretur gratia, atque adeo in aliquo sensu necessaria est expulsio gratiæ ad introductionem peccati: hoc tamen non arguit mutuam prioritatem aut causalitatem: nam licet prior sit introductio peccati, quæ gratiæ expulsio, ut testatur Concilium: non tamen è contra est etiam prior expulsio gratiæ, quàm peccati admissio: nam pro illo priori verum esset, quod Deus prius deserit sua gratia hominem, quàm ab ipso homine per peccatum deseratur. Sicut ergo gratiæ expulsio dependet à priori ab introductione peccati, & non è contra, licet utraque mutatio, scilicet, introductio peccati, & expulsio gratiæ habeant necessariam connexionem ad invicem: sic dicendum est de omnibus formis contrariis, quod introductio sit prior, quàm expulsio forme recedentis, non è contra, quoties vna forma expellit aliā. Verum quidem est, quod si forma præcedens non

non recederet, forma subsequens non introduce-

tra, a quo impulsu provenit efficienter motus fe-

nestra. Sed contra vrgent: quia maior virtus necessa-

ria esset in aere, vt ingrederetur clausa fenestra, quam aperta: ergo quando ingreditur aer fenestra

aperiendo ea, quia Angelus penetrabilis est, & ab-

tertio argunt, quia quando duo ligna sese inuicem sustinent, ne cadant in terram, datur mu-

Pro solutione huius argumenti, & aliorum simi-

183

184

185

Tertium esse duobus lignis se inuicem sustinentibus.

186

M a quorum

181. E contra verò introductio formæ est prior, quam expulsi

Secundo argunt ex alio exemplo, scilicet, ex ingressu aeris, & apertione fenestræ: prius enim est, aerem ingredi, quã fenestram aperiri, cum aeris

Respondeo primo, negando quod prior sit apertio fenestræ, quã aeris ingressus: neque enim ideo ingreditur aer, quia aperitur fenestra, sed potius è contra: sicut non ideo ingreditur peccatum, quia gratia recedit, sed ingrediendo expellit gratiam: sic aer ingrediendo aperit, seu impellit fenestram. Respondeo secundo, neque etiam esse necessarium, quod prior sit aeris ingressus, quam apertio fenestræ: nam prius est, quod aer impellat fenestram, hoc est, imprimat in fenestra impulsum, qui impulsus est causa, quod aperiantur fenestra: non est ergo necesse in rigore loquendo, quod præintelligamus aerem ingrediẽtẽ ante apertionem fenestræ: sufficit præintelligere aerem impellentem, seu producentem impulsum in fenestra.

P. Ioann. de Lugo, de Penit.

Respondeo regulam illam Aristotelis intelligi cum proportione debita; vt sicut affirmatio quæ est causa affirmationis, debet esse independens ab ipso effectu & antecedens ipsum, non quæ fiat ab effectu: sic negatio sit causa negationis; si tamen sit negatio antecedens, & independens ab effectu. Qui sensus manifestè colligitur ex ipso exemplo, quod Aristoteles vitur: nam sicut præsentia gubernatoris, quæ est causa salutis nauis, est antecedens pro tunc, & independens à salute nauis; quam tunc causat: sic absentia gubernatoris; quæ est casus submersionis nauis debet esse antecedens, & independens ab ipsa immersione, quam causat: si enim nauis submergitur aliunde, & ideo perit gubernator; absentia illa gubernatoris causata à naufragio, non poterit esse causa eiusdem naufragij, & submersionis vt constat: sic ergo negatio frigoris aliunde proueniens in aëre ambiente poterit esse causa negationis frigoris in carbone, negatio verò frigoris in aëre ambiente proueniens nunc à carbone non potest esse causa, quod nunc carbo perseueret absque frigore.

Sextò arguunt ex alio exemplo: si aliquis (inquiunt) decernat non moueri manum dexteram solam, nec sinistram solam, sed vel vtramque simul vel neutram; nunc quies dexteræ supponit quietem sinistræ, & è contra: ideo nauis non mouet dexteram, quia non mouet sinistram, & è contra ideo non mouet sinistram, quia non mouet dexteram: esse mutua prioritatem, & causalitatem, si enim moueret dexteram, moueret etiam sinistram & è contra.

Respondeo facillè, ibi non dari mutua prioritatem quia vel ille non vult mouere sinistram, quia non vult mouere dexteram; & tunc ad summum prior erit cognitio nolitionis mouendi dexteram, quam nolle mouere sinistram: non è contra. Vel ille ideo non vult mouere dexteram, quia non vult mouere sinistram; & tunc ad summum etiam prius videbitur nolitio mouendi sinistram quam nolit mouere dexteram, non è contra. Vel denique æquè respicit motum vtriusque manus: & tunc abique vlla prioritate, simul vult neutram mouere: dixi in illis prioribus casibus, ad summum præcedere pro signo priori cognitionem nolitionis mouendi alteram manum, quia neque illam prioritatè oportet inueniri, sed potest proposita difficultate, & motiui, quod habet homo ad non mouendam dexteram, immediatè prodire in actum, quod neutram mouere velit, ne moueat dexteram, quam prouidet, nõ posse manere immotà si moueatur sinistra. Denique quod altera manus nõ possit moueri, aut quiescere sine altera nõ arguit prioritatè, aut depèndentiã immediatã, sed conõmitantia, & conõxionem necessariam propter vnitatem principij, à quo vterque effectus debet procedere. Sæpe enim cõtingit, duo aliqua necessariò coniungi absque dependentiã vnus ab alio, solum quia vtrumque depèdet ab vno, & eodem principio. Exemplũ esse potest, si sacerdos vnica voluntate simplici velit cõsecrareduas, vel plures hostias sibi præsentès: non enim potest tunc vna consecrari sine altera: non est tamè prior consecratio vnus consecratione alterius: sed coniunguntur conõxione necessaria propter vnitatem principij, scilicet, illius voluntatis simplicis, à qua procedit vterque effectus, & quæ nõ potest operari vnũ, quin operetur alium. Sic posito illo decreto non mouendi alteram manum seorsim, sed vel neutram vel vtramque; quando mouetur dextera: debet moueri sinistra, & è contra, quia ille motus procedit ex voluntate mouendi vtramque manum, quæ causa non potest producere vnũ effectum sine altero, & ideo inter vtrumque effectum est necessaria

Ioan. de Lugo de Pœnitentiã.

cõcomitantia absque dependentia vnus ab altero, aut ordine prioritatis & posterioritatis inter illos.

Septimò arguunt: quia quando lapis proicitur motu violento, impulsus lapidi à proiciente impressus est causa motus, & rursus conseruatur ab eodem motu; nam vbi primum cessat motus, extinguitur omnino ille impulsus, vt constat experientia, si lapidi proiecto opponatur tabula, vel manus, statim enim cessat motus violentus lapidi, etiam si tabula, vel manus statim amoueat, quia vniuersum cessauit motus, dependenter à quo conseruabatur impulsus à proiciente impressus: datur ergo mutua prioritas, & causalitas inter impulsu à proiciente impressum, & motum, qui ab eodem impulsu procedit.

192.
Septimam
ab impulsu
lapidis.

VRespondeo, totam illam experientiam posse explicari sine mutua causalitate, si dicamus, qualitatem illam, seu impulsu impressu lapidi à proiciente esse quidem qualitatem, non successiuam, vt aliqui voluerunt, sed permanentem paulisper, & conseruatam à Deo per aliquod tempus, sicut conseruatur etiam à Deo aliquandiu calor in aqua separata ab igne. Ceterum sicut ille calor paulatim remittitur, & extinguitur à frigiditate dimanante ab ipsa aqua sic impulsus lapidi impressus paulatim remittitur, & extinguitur ab impulsu cõtrario proueniente à propria lapidis grauitate. Deus enim vt auctor naturæ nõ debet conseruare calorem in aqua, vel impulsu violentu in lapide influxu ita efficaci, sicut cõseruaretur calor ab igne proximo, vel impulsus à proiciente præsentis, & operatis, sed Deus qui est causa magis vniuersalis, & nõ est ita determinatus ad illũ effectum finit se facilius, & breuius superari à natura aquæ, vel grauitate lapidis, vt desinat conseruare calorem, vel impulsu violentum. Hoc tamen est discrimen inter calorem & impulsu quod calor nunquã definit totus simul, sed successiuè prout successiuè recuperatur frigus ab aqua, at verò impulsus violentus lapidi impressus aliquandò perit totus simul, quãdo opposita manu, vel tabula non potest lapis ulterius progredi in partem anteriore, & statim descendit in centrũ à propria grauitate depressus, eadem enim experientia probat, Deũ vt auctorem naturæ non debere conseruare illũ impulsu in lapide quoties propter impedimentum, vel resistentiam deberet manere ortu suo. Nõ est ergo prius moueri lapidem, quam conseruari impulsu, nec motus proueniens ab impulsu causat simul ipsum impulsu, sed semper impulsus præcedit, & causat motum illum violentum: prærequiritur tamen ante cõseruatione ipsius, impulsus, quod nõ ad sit causa impeditiua motus illius violenti: qualis est tabula opposita: Ideoque conseruatur impulsus, quia non ad est causa quæ resistat vel impediatur, ne progrediatur ulterius motus violentus ita vt negatio talis causæ sit conditio prærequisita, vt Deus conseruet impulsu in lapide.

193.

Regebit fortasse aliquis, vt probet, motu ipsum actualem esse causã impulsu violenti perseverantis: quia experientia ostendit, lapidẽ proiectũ velocius moueri in medio motu, quam in principio; ideo enim ictus fortior est quãdo mediocriter distat lapis à proiciente, quã si sit nimis vicinus: ergo intensior est impulsus in medio motu, quã in principio: illa autem intensio non potuit produci, nisi ab ipsomet motu, nõ à proiciente, qui non potest agere in distans. Neque etiã dici potest, quod proueniat à maiori propinquitate centri: tã quia magis quidẽ distat à centro lapis è turri proiectus, quã qui ex mensa proicitur, & tamen vehementius impellitur in medio itinere prior lapis, quã posterior in principio motus: tum etiam quia si lapis non proicitur deorsum, magis distat à centrõ in medio mo-

194.
195.
196.
197.
198.
199.
200.

tu, quàm in principio: & tamen vehementius ferit, & impellit in medio motu, quàm in principio: quod idem est, si nec sursum, nec deorsum, sed ad obliquum proiciatur.

195.

Respondeo, hanc etiam experientiam explicari posse absque mutua causalitate, aut prioritate, imò nullo modo deferuire ad eam probandam: quia licet daremus, per motum ipsum produci, vel augeri impetum, nemo tamen dicit illud augmentum deferuire ad eandem partem motus, per quam producit, sed ad subsequentes: sicut licet per actum generetur, vel augeatur habitus acquisitus, illud tamen augmentum non generat eodem instanti illum actum, à quo genitus est, sed deferuit vel ad alios actus subsequentes, vel ad summum ad conferuandum tempore sequenti eundem actum. Ceterum neque hoc modo admitto, impulsus augeri efficienter per ipsum motum: sed potius dicerem, impulsus à proiciente impressum non exferere à principio vires omnes suas propter resistentiam grauitatis, quæ paulatim superanda est, & deo successiue crescit actiuitas, seu potest velociorem, est vehementiorem motum causare: hoc enim commune est passo resistenti, ut eius resistentia non simul, sed paulatim vincatur, & hoc modo perficiatur magis, & magis effectus. Sic impulsus violentus ab initio, lentius, postea fortius mouet lapidem sursum: donec remittente vi propter absentiam agentis particularis, refumit vires grauitatis, & resistit vehementius in fine, ac languescit motus violentus, sicut carbo ignitus aquæ frigide repente immerfus eam calefacit magis, & magis succesiue, quia successiue superat eius resistentiam: postea verò remittente vi caloris in ipso carbone, aqua refumit vires, & recuperat suam frigus, ac remanet sicut prius: sic etiam de impulsu illo violento lapidi à proiciente impresso philosophari possumus absque mutua prioritate, vel causalitate.

196.
Octauum ex
forma sub-
stantiali.
Et tempera-
mento na-
turali.

Octauo arguunt ex vulgari exemplo forme substantialis, & temperamentis naturalis: forma enim dependet in fieri, & in conseruari à debito temperamento, quo ablato, perit statim forma, vel certe dissoluitur vnio: & rursus temperamentum videtur dependere à forma: videmus enim, aquam recuperare frigiditatem, quam perdidit; datur ergo mutua dependentia inter frigiditatem & formam aquæ.

Ad hoc argumentum respondere posset aliquis temperamentum esse prius, & posterius forma substantiali secundum eisdem gradus: sed aliquos gradus frigoris, verbi gratia, esse dispositiones, & precedere ad productionem, & conseruationem forme eosque non pendere à forma; alios verò gradus superiores esse posteriores forma, & dimanare ab ipsa, à qua etiam restituuntur, si perduntur: ab his autem forma non dependet, perseuerat enim forma aquæ etiam amisso frigore quoad plures gradus, qui tamen sunt proprietates aquæ in statu connaturali, & ab ipsa dimanant.

197.

Hæc tamen responsio difficilis fortasse est. Primum, quia non videntur posse esse aliqui gradus, qui determinatè pendeant, à forma, & alij, qui determinatè præcedant, ut dispositiones: nam dispositio prærequisita ad conseruandam formam substantialem non videtur consistere in aliquo determinato, sed potius in aliquo, disincto. Vnde forma aquæ feruentis conseruatur cum summo calore, qui adhuc retinet humiditatem, quod si nec humiditatem nec frigus haberet, periret. Sic homo viuunt, licet temperamentum debitum aliquando deficiat propter excessum caloris: aliquando etiam excedat propter excessum siccitatis quia sufficit minus humiditatis cum frigore, vel minus frigoris cum

humiditate; si tamē deficiat quoad frigus, & quoad humiditatem, statim moritur: non ergo pendet vita determinatè à tali gradu frigoris, v.g. sed disinctim petit vel tantum frigoris, vel tantum humiditatis, & sic de alijs: non potest ergo pendere temperamentum quoad partem sui à forma: & quoad partem præcedere, quia deberet iam assignari aliquid, à quo determinatè penderet conseruatio forme in subiecto, & aliquid, à quo nullo modo de- penderet.

Secundò difficile est, quod forma substantialis conseruet solum sextum vel septimum gradum caloris. v. g. cum omnes alij gradus inferiores non possint ab illa conseruari, sed solum conseruentur à causa prima: nunquam enim causa prima conseruat se solà quatuor, vel sex gradus caloris in subiecto, solum quia causa secunda conseruat septimum, alioquin si aqua calida, & feruens separaretur ab igne vehemēti, & postea applicetur illi modicissimo ignis sufficiens ad producendum, & conseruandum vnum gradum caloris, conseruaretur summus ille calor, & feruor in aqua, quia igniculus ille conseruaret septimum gradum, & Deus conseruaret alios sex iam productos quādiu septimus non auferretur: consequens autem est contra experientiam, quæ ostendit feruorē non durare nisi ignis præsens possit omnes illos gradus caloris conseruare, similiter ergo licet generis produceret quatuor gradus caloris, v. g. in materia ad introducendam formam substantialem: Deus tamen ut causa prima non conseruabit se solo diutius illos quatuor gradus, si forma ipsa conseruet quintum: fatendum ergo est, totum temperamentum conseruari vel à forma, vel à Deo ad exigentiam forme quæ exigit illius conseruationem, & restitutionem, quando deperditur.

Facilius itaque responderi potest ad argumentum, concedendo, quod temperamentum in primo fieri præcedat forme introductionem; postea verò idem temperamentum conseruari à forma ipsa vel certè à Deo ob exigentiam forme; cuius quidem conseruatio non præsupponit pro priori nature temperamentum existentis actu; sed solum ut nunc conseruetur forma, supponitur temperamētum immediate antea extitisse & nunc non adesse aliquod agēs fortius, cui debeatur eiusdem temperamenti destructio his enim stantibus, Deus ut auctor nature debet nunc conseruare formam, quæ pro signo posteriori conseruat temperamētum, vel Deus pro signo posteriori illud conseruat ob exigentiam forme substantialis, cui debetur illius temperamētum conseruatio, quādiu non aduenit agēs fortius, quod illud expellat superueniente autem eiusmodi agēs introducuntur dispositiones contrariæ, à quibus expellitur temperamētum requisitum: & postea pro posteriori nature expellitur forma substantialis ob defectum temperamenti, à quo licet non penderet à priori, non potest tamē manere sine illo, hoc est, non debere secum suum temperamentum, & ita soluitur omnia sine mutua prioritate, & causalitate.

Vltimò obiiciunt Aristotelem. i. *physicorum* c. 3. dicentem, exercitationem corporis esse causam bonæ valetudinis, & contra bonam valetudinem esse causam exercitationis. Sed Aristoteles se se explicat, non loqui de causalitate mutua secundum esse reale, sed secundum esse intentionale, quatenus bona valetudo desiderata per modum causæ finalis mouet ad exercendum corpus: in quo genere non est difficultas, cū causa finalis non supponatur existens ad causandum; nos autem negamus solum mutuan causalitatem inter eas, quæ

quæ causam secundum suam existentiam. Ceterum quicquid sit de mente Aristotelis vergeti posset de re ipsa, nam bona valetudo est causa ambulationis & e contra. Respondeo tamen, bonam valetudinem præsentem esse quidem causam ambulationis præsentis, non tamen e contra, quia ambulatio præsens non est causa valetudinis præsentis, sed perseverantis pro tempore sequenti.

DISPUTATIO IX.

De necessitate, & efficacia penitentiae in ordine ad remissionem peccati venialis.

SECT. I. *Utrum ad remissionem peccati venialis sit necessaria gratia habitualis infusio.*

SECT. II. *Quis actus penitentiae requiritur ad remissionem peccati venialis.*

SECT. III. *Utrum per sacramenta tollantur peccata venialia ex opere operato.*

SECT. IV. *Quomodo per aquam benedictam, & similia tollantur peccata venialia?*

EX his, quæ de peccato mortali dicta sunt, facile erit de veniali philosophari, de quo similiter supponendum est relinquere aliquam maculam in anima, distinctam à reatu peccati: potest enim tolli omnino macula remissa peccato veniali quoad culpam, & manere debitum poenæ, vel saltem poenæ partialis, vel etiam totius. Quo supposito, quaerimus primum, Utrum hæc macula tollatur per infusionem gratiæ habitualis sicut macula peccati mortalis, deinde quæ dispositio requiratur ad remissionem venialis tam in sacramento, quam extra sacramentum, & quid tandem per usum aliquorum sacramentalium?

SECTIO I.

Utrum ad remissionem venialis sit necessaria gratia habitualis infusio?

Duplicem sensum habet hoc dubium. Primus est, an saltem concomitanter infundatur aliquid gratiæ habitualis, quoties remittitur veniale? & quidem supposita probabiliori, & communiori sententia quod per omnes actus saltem supernaturales: etiam remissos elicitos ab homine iusto augetur gratia, ita ut augmentum statim conferatur; consequens est nunquam remitti peccatum veniale sine infusione vel augmento gratiæ: nam vel remittitur in sacramento, vel extra sacramentum. Si in sacramento, ergo simul cum infusione gratiæ sacramentalis. Si vero extra sacramentum; necesse est, interuenire aliquem actum proprium, saltem per modum dispositionis, qui cum sit elicitus ab homine iusto, erit viique meritorius augmenti gratiæ, & per consequens interueniet aliqua gratiæ infusio: habet ergo necessariam connexionem remissio venialis nunc de facto cum infusione, vel augmento gratiæ habitualis, licet non e contra, nisi forte quando virtute sacramenti præterita remittuntur postea fortasse ablata fideione quoad venialia, ut dixi *disput. 9. de sacramentis in genere sect. quinta.* ubi dixi id fieri sine noua infusione gratiæ, sed per gratiam prius in sacramento collatam, sed illud non est contra hanc doctrinam quia ad minus interuenit noua gratia ex opere operantis ratione dispositionis, qua aufer-

tur obex. In hoc ergo primo sensu suppositis illis principiis non est difficultas.

Secundus sensus, & difficilior est, an illa gratia infusio non solum se habeat concomitanter ad remissionem venialis, sed quasi in genere causæ formalis debeat culpam venialem, ita ut per ipsam gratiam habitualem, quam infundit, debeat Deus culpam, & maculam relictam ex peccato veniali? de quo partim diximus supra *disput. 7. sect. 3.* loquendo de possibili: nunc dicemus breuiter, an de facto delectur per gratiam habitualement. P. Vasquez 1. 2. *disput. 201. cap. 4.* negat, posse peccatum veniale tolli per meram condonationem extrinsecam, & dicit requiri necessario aliquam mutationem intrinsicam ipso homine, quæ vel fit per actum contritionis, per quem tollitur, & expiatur sufficienter illa macula, vel in sacramento per attritionem, & gratiam sacramenti datam à Deo ad hunc finem reconciliandi hominem à peccato, atque ideo illa gratia est; quæ tunc formaliter mundat hominem, & expellit peccatum veniale. Hoc ipsum iterum docet idem Vasquez in *presenti quest. 87. art. 3. dub. 2. & alibi.*

Communior tamen sententia probabilis negat, gratiam habitualement sive in prima infusione, sive in augmento expellere formaliter maculam venialis. Hanc docet 1. Suarez *tom. 3. de gratia. 3. cap. 24.* & alij communiter, & in primis quod contritio non sit semper forma expellens peccatum veniale extra sacramentum, videbimus *sect. sequenti*, quod vero in sacramento gratia habitualis non expellat formaliter maculam illam, probatur vnicuique, & efficaci ratione; quia nullus gradus gratiæ habitualis opponitur cum macula veniali; ergo per nullum gradum gratiæ habitualis expellitur formaliter illa macula: consequentia probatur; quia forma non expellit aliam formam nisi per repugnantiam, & impossibilitatem, quam habeat cum illa; ergo si gratia non habet impossibilitatem cum peccato veniali, nec opponitur illi, non magis poterit illud expellere, quam habitus fidei, vel spei. Antecedens vero probatur, quia homo iustus habens gratiam quantumcumque intensam potest peccare venialiter ergo gratia etiam intensa non opponitur cum macula peccati venialis.

Respondet Vasquez, gratiam secundum se non opponit cum peccato veniali, opponi tamè gratiam ut collatam ex intentione Dei in illo sacramento ad effectum reconciliandi hominem ab eo peccato: ut sic enim non potest componi cum macula. Sed contra hoc est, quod eodem modo potuisset dicere de attritione sola, nimirum posse Deum posita attritione remittere culpam venialem etiam sine infusione aliqua gratiæ, quia licet attritio secundum se non repugnet cum macula habituali peccati venialis, sed tamen attritio data à Deo ad illum effectum reconciliandi hominem per illam à peccato veniali, non potest componi cum macula: non ergo apparet, qua consequentia negetur hoc de sola attritione, nisi quia re vera non ausus est illud secundum negare, ne videretur tolli efficacia sacramenti penitentiae in ordine ad tollenda venialia: ex hoc tamen probatur clarè possibilitas illius primi; ut probat optime Suarez *dict. capite 24.* ubi omnes euasiones, & discrimina sigillatim impugnat. Vide illum.

Deinde à priori impugnat, quia nulla forma potest eleuari etiam de potentia absoluta ad aliquem effectum formalem causandum in aliquo subiecto, quem in eodem subiecto non causeret sine eleuatione: verbi gratia, albedo, licet possit eleuari,